

*De Reductione Syllogismorum.* 433

21. Retinenda igitur est in hac reductione una ex præmissis imperfecti syllogismi, quas adversarius veras esse agnoscit, ipsique adjungenda est conclusionis, quam falsam esse dixit, contradictoria, inde in prima figura inferenda est conclusio, quæ contradicat alteri præmissarum imperfecti syllogismi.

22. Nota: Cum dicitur, in hac reductione unam ex præmissis imperfecti syllogismi esse retinendam, in secunda figura major retinetur, in tertia minor: in indirectis verò primæ figuræ modis major quidem servatur, transfertur autem in locum minoris.

23. Ut igitur pateat, ad quænam absurda & impossibilia admittenda compellatur adversarius hac reductione, sit exemplum in *Cesare.*

*N. lapis est sentiens.*

*O. animal est sentiens. E.*

*N. animal est lapis.*

Si hic adversarius concessis præmissis conclusionem falsam esse dicit, existimans tantum in prima figura, & quidem in modis directis esse necessariam consequentiam, reduci potest hic syllogismus ad primam figuram reductione per impossibile: quia igitur est in secunda figura, retinetur major eique adjungitur contradictoria illius conclusionis, quæ

*E c in*